



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

S. Virgo Virginvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

S. VIRGO VIRGINVM. 23

iam me miserrimum peccatorem simili-
bus verbis Matri tuæ, vt me in filium
fufcipiat. Mihi quoque dictum putabo,
Ecce Mater tua. Amplector ergo totis
brachijs, hoc facrum pignus, & in mea
accipio, paratus ei feruire omnibus die-
bus vitæ meæ. Hac in re fiducia exultat
fpiritus meus, & pfallit tibi;

*Quis mihi terapiet? nemo. quis me tibi?
nemo.*

Filius ergo tibi, tu mihi Mater eris?

S. VIRGO VIRGINVM.

QVandoquidem SS. Patres de Vir-
ginitate integros libellos, & tra-
ctatus fcripferunt, frustra teme-
rarius calamus aliquid addere tentabit.
Sufficiet pauca ad propositum nostrum
afferre, de laudatiffimo hoc hominum
ftatu, quem S. Cyprianus, a illustrio-
rem portionem gregis Christi, nomi-
nat, & Dei imaginem respondentem

B 6

sancti-

a. De habitu Virginum.

sanctimonix Dei. Ita etiam loquitur D. Basilus: *a* Magnum quid, vt vere dicam, est Virginitas, ait, incorruptibili Deo, vt ita dicam, similem faciens.

Quod vero mirum est, etiam apud Ethnicos, Virgines, maxime Vestales, summo in honore habitæ sunt. Procefferunt pari pompa, vt Consules Romani: Et Imperatores cum triumpharent, cesserunt Virgini Vestali, si quando obviam forte habuissent.

Magnam habet hic status promissionem in cœlis. *b* Vidit Ioannes centum quadraginta quatuor millia, Agnum sequentes in gloria, quocunque ibat. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Vox earum audita tanquam citharædorum, citharizantium in citharis suis. Partim propter concordantiam Virtutum illarum Virginum, ex Virginitatis pudore gratissimam: partim propter disten-

a Lib. de vera Virginitate.

b Apoc. c. 14.

distensionem, ac pulsum, quæ mortificationem carnis denotant. Ita ex Beda, Gregorius in *Moralibus* c. 31.

Quin & Martyrum in cœlis laureolam habet Virginitas. Quia, ut ait S. Augustinus, *a inter omnia Christianorum certamina, sola clariora sunt prælia Castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria.* Et S. Ambrosius. *b. Non ideo, inquit, laudabilis Virginitas est, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres facit. habet enim & pudicitia seruata suum Martyrium,* inquit S. Hieronymus ad *Demetriadem.*

Cassianus Angelis Virgines comparat. *Nulla, inquit, c virtute tam proprie carnales homines spiritualibus Angelis ad imitationem conuersationis æquantur, quam merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum, d municipatum in cœlis, quod depo-*

B 7

sita

a *Serm.* 250.b *Lib. de Virgin.*c *Lib. 6. c. 6.* d *Philip. 3.*

ita corruptela carnali, a habituros promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes. S. Hieron. ipsis Angelis præferre videtur: b Maior, inquit, est Victoria Virginum, quam Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, Virgines vero in carne triumphant. Quod clarius expressit Petrus Chrysol. Angelis, c inquit, semper cognata Virginitas est. In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis: Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere, maius est, quam habere. Esse Angelum felicitatis est, Virginem esse, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus natura. Angelus enim, & Virgo, diuinum agunt officium, non humanum.

Merito autem Ecclesia Mariam, Virginem Virginum appellat, cui in toto choro Virginum par non sit, & vt Sedulius canit, Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Primò

a Mach, 22.

b Super 1. Cor. 7.

c Serm. 134.

I.

Primo enim ab originali macula, in ipsa conceptione præseruata fuit; quæ prærogatiua alias nulli hominum ex humano semine procreato, concessa est.

2.

Secundo fomes peccati in ea extinctus, vnde nec vlla cogitatione illicita inquinari potuit, nec vlllo prauo carnis motu.

3.

Tertio, Gratia Dei plena fuit, & Dominus cum illa, tanquam cum electa, & præelecta Dei Sponsa.

4.

Quarto, quia prima inter filias Euxæ voto castitatis Deo se obstrinxit, quod antea inusitatum, & inauditum erat. Vnde quidam doctissimi viri audent asserere cum S. Bernhardino Senensi, Beatam Virginem, & ex singulari Priuilegio, habuisse in ytero plenum
ratio-

a. Suarez, Barad.

rationis vsum ; & dicunt eam statim post conceptionem , & primam suam sanctificationem , habuisse propositum Virginitatis.

Et hoc nomine etiam non caruit merito singulari. *a* quia S. Thomas & alij Doctores docent, *b* quamuis Deipara pugnam non habuerit, per tentationem carnis , propter ablatum fomitem & perfectam sanctificationem ; *c* habuisse tamen pugnam, quæ est ab hoste , qui nec etiam ipsum Christum est reueritus.

Hinc S. Bernardus ait : *d* *Que vel Angelica puritas Virgini illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Et ideo merito Virgo Virginum appellatur.*

Quin-

a In 4. dist. 49. q. 5. a. 3. *b* Suar. tom. 2. ix. 3. part. disp. 21. Sect. 4. *c* Matth. 4.

d Serm. 4. de Assumpt.

5.

Quinto, omnium virtutum exemplar fuit, morum honestate; etiam ex vultu virtutes elucebant, & specie ac decore adeo fulgebat, vt S. Dionysius Areopagita illam tanquam Deam coluisset, si lumine fidei nondum præditus fuisset;

6.

Sexto, Virgo in Matrimonio mansit, cum Iosepho.

7.

Septimo, Quod plus est, Virgo etiam in partu mansit, quod ab omni sæculo inauditum est. Id Sedulius pulchrè expressit, Et Ecclesia ex ipso canit,

Gaudia matris habens, cum Virginitatis honore,^a

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

^a Lib. 2. carm.

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

IN gratiam partim Virginum vtriusq;
sexus, qui Virginitatis florem nun-
quam amiserunt; partim eorum qui
etiam post amissam Virginitatis laureo-
lam, continentiae & castitatis amantes
sunt, spiritualia quædam subsidia hic
subiungam.

I.

Virgo, inquit Apostolus, *a* cogitat
quæ Domini sunt, vt sit sancta corpo-
re, & spiritu. Nam Virgo carne, non
mente, nullum præmium habet in re-
promissione, inquit S. Isidorus. *b* Ergo
Virgo non diuisa esse debet, vt Mundo
quoque placeat, sed tantum vt Deo,
tanquam Sponso suo placeat, ideo etiam
spiritu debet esse sancta, & carere desi-
derijs terrenis.

Solici-

a 1. Cor. 7.

b De summo bono lib. 2.

2.

Sollicitudo hæc , parit timorem,
& cautelam , vt thesaurum hunc custo-
diat : hinc omnia tuta timet. *Trepidare*
Virginum est , inquit S. Ambrosius , *a ad*
omnes viri ingressus pauere , omnes viri affa-
tus vereri.

3.

Ex hoc timore nascitur verecundia,
quæ est pudicitiaæ comes , imo soror se-
cundum Bernhardum , cuius societate
castitas ipsa tutior est. hæc non solum in
factis , sed etiam in ipsis spectatur ser-
monibus, inquit S. Ambrosius, *b specu-*
lam mentis plerumque, ait, in verbis re-
fulget. Hinc Diogenes ad verecundan-
tem iuuenem dixit; *Confide adolescens,*
hic color virtutis est.

4.

Necessaria autem est custodia sen-
suum , ne quid indecens irrepat. Omni
custodia custodi cor tuum , sepi aures
tuas

a Super Luc. c. I.

b De offic. l. I. c. 19.

tuas spinas. *a* Fac pactum cum oculis
tuis, sicut Iob, *b* vt nec cogitent quidem
de Virgine. Mors intrat per fenestras:
fenestræ cordis tui, oculi tui sunt. Et, si
nescis, oculi sunt in amore duces. *c* Id
David in solario: duo senes in pomario
Sufannæ, & alij in numeri experti sunt.
Vidit Eua, *d* quod bonum esset lignum
ad vescendum, & pulchrum oculis, &
tulit. hinc omne malum. Accipitri ope-
riuntur oculi: e alioqui cicurari non pos-
set, & nunquam quietus sederet, præter-
uolante præda.

5.

Virginem honestus labor decet,
& mens bene occupata. Otia si tollas,
periêre Cupidinis arcus. Otium pului-
nar diaboli est. Nosti Samsonem in sinu
Dalilæ dormientem, fortitudine sua
priuatum, & Philistæis, suis hostibus tra-
ditum.

a Prouerb. 4.

b Iob. 31.

c Propert. *d* Gen. 3.

e Simile.

ditum. *a* Inter vitia Sodomæ, numeratur otium Sodomæ, & filiarum eius S. Bernhardus *b* otium appellat sentinam omnium tentationum & malarum cogitationum. Nil agendo, male agere discimus, dicebat sapiens Cato.

6.

Porro ad conseruandam pudicitiam, necessaria quoque est, occasionum fuga. nam qui tangit picem inquinatur ab ea. *c* Abstrahendus fomes à carbonibus, vbi flamina timetur.

Est mulier viscus tactu, visu Basiliscus. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? *d* aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Non est omnis rubi, ardere, & non comburi. *e* Ideo S. Augustinus foeminas etiam sanguine iunctas, in do-

a Ezech. 16. *b* Ad Fratres de Monte Dei.

c Prou. 13.

d Prou. 6.

e Exod. 3.

domum suam non admisit, partim propter scandalum, partim etiam propter alia pericula. Et S. Ursinus Presbyter, in extremis, pene animam efflans, dum sentiret mulierem ei viciniorem, Abscede, inquit, *a* quia adhuc igniculus in me viuit, paleam tolle. Ac si dicere voluisset, hominem in pudicitia securum non esse, quam diu spirat.

Modum autem perfecte fugiendi, insinuat S. Ambrosius. *b* *Fugiamus*, inquit, *carnis voluptatem, tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nosmet ipsos ergo diligenter probemus, ne dum illa fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus excutimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus.*

Ille quidem dixit, *c* *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, sed nec in solitudine sola securitas, animus spiritualibus armis munitus esse debet, &*
cum

a Greg. l. 4. Dialog. c. II.

b De pœnit. lib. I. c. 14. *c* Psal. 54.

cum Deo vnitus. In Eremo Mundum vicisti, quia deseruisti, sed nondum carnem, nondum Diabolum. S. Hieronymus nec in Eremo à tentationibus securus fuit.

Miratus sæpe sum, quosdam Eremiticolas, vt in vitis SS. Patrum legimus, nimium securos, & sibi nimis fidentes, cum ciuitates visitassent, tam facile in fornicationem lapsos. Nondum scilicet carnem plene domuerant, nondum diabolum omnino vicerant. Scipos adhuc secum tulerunt, nondum plene mortificatos, nondum sibi mortuos.

7.

Præterea omnibus modis curiositas mortificanda est. Curiosa Dina statim rapta, & violata est. *a* Curiosa virgo, rarò Virgo, aut non diu; periculo proxima est. Qui amat periculum, peribit in illo. *b* Idem accidet ei, qui periculum non cauet, dum potest. In hoc genere

a Gen. 34.

b Eccli. 3.

genere illud Plauti mihi occurrit:

Qui cauet, etiam dum cauet, vix
fatis cautus est.

8.

Tandem omnibus consideratis, pug-
nandum est cum callido hoste, qui
experientiam habet à condito orbe.
Violenti rapiunt regnum Dei. & ne-
mo coronabitur, nisi qui legitime cer-
tauerit. In Eremo, & extra cum hoc
hoste magno animo congregiendum.
hostis astutus, caro potens, pugna per-
petua. felix qui Heroicis actibus hostem
aggreditur. *a* Sic Niceta in molli le-
cto, fericis vinculis ligatus, & ab impu-
ra muliere varie illectus, linguam suam
mordicus abscissam, in faciem mere-
triculæ exspuit. S. Benedictus tempore
tentationis, nudum se in vrticas & ve-
pres coniecit. *b* S. Bernhardus in lacu
præfrigido petulantiam carnis domu-
it. S. Franciscus in niue, rigida hyeme,

VXO-

a Niceph. lib. 7. c. 13.

b Greg. l. 2. dial. c. 5.

vxorem, & liberos sibi formans, æstuan-
tem sanguinem gelare fecit. flagello
item carnem lacerans, frater asine, ait,
sic te tractare oportet. Quidam in pru-
nas se coniecerunt; Alij manus com-
buserunt, & pedes. Alius sacco arena
pleno, humeros supra vires grauans,
vexo, inquit, vexantem me: Alij calci-
tranti asino, pabulum subtrahentes, ine-
dia pene contabuerunt, iuxta illud:

Luxuriat raro, non benè pasta
caro.

S. Hieronymus, oculatus testis,
narrat de quodam prudente Sene, qui
iuuenem quendam, carnis stimulo ten-
tatum, opprobrijs, & iniurijs, per se,
& alios tam diu exercuit, & vexauit, vt
tandem interrogatus an adhuc caro
pruriret, responderit, viuere me tædet,
fornicari ne libeat?

Gregor. Nazianz. in carmine, quo
deplorat suam calamitatem: *Ventri, in-*
quit, claustra impono, animum mærore con-
ficio, lacrymarumque vim profundo, ac sor-

C

ditatus

*ditatus incedo &c. pro lecto mihi humus est,
pro linteis cilicium, & pavimentum lacry-
mis perfusum.*

Hæ quidem admiranda sunt, sed
sæpe imitanda. Qui neminem finit
tentari. ultra id, quod potest, expectat
tamen, vt resistat, & pugnet homo,
quantum potest. Potest autem omnia
in eo, qui ipsum confortat. Lapsus ca-
uendus, quocunque tandem conatu.
Tolle discretionem & non erit Virtus,
inquit S. Bernhardus; hæc apud Patres
spirituales quærenda; hi suis consilijs
modum statuent.

9.

Denique his omnibus iungenda
est Oratio, quæ singulare robur à Deo
impetrat: Sciui quoniam aliter non pos-
sum esse continens, nisi Deus det; *a* & id-
circo ad *ij* Deum, & deprecatus sum il-
lum. Ita etiam S. Augustinus, *b* conti-
nentiam iubes Domine, da quod iubes,
& iube quod vis.

Com-

a Sap. 8. b Lib. 8. Confess.

Compendium horum omnium faciam exemplo non Virginis, sed viduæ, de qua ita legimus. *a Iudith in superioribus domus suæ, fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium; jeiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha, & Neomenias, & festa Domus Israhel.* Ecce fugam, ecce otij detestationem, bonam societatem, laborem, orationem, ieiunium, carnis macerationem.

Hæc in gratiam Virginum, & amanti-
tium castitatem, vt sciant magna cum
solicitudine suum thesaurum custodire,
quem portant in vasis fictilibus. Notum
illud Poetæ;

-----Nulla reparabilis arte,
Læsa pudicitia est, deperit illa se-
mel.

Deus Virginem corruptam, suscitare
non potest integram pœnam remitte-
re potest, aureolam autem non impo-
nere.

C 2

nere.

a Iudith. 8. b Lib. de Virg. c. 27.

nere. Concludo cum S. Augustino. *Gaudia propria Virginis Christi, non sunt eadem non Virginum, quamuis Christi: nam sunt alijs alia, sed nullis talia. Quid est eum sequi, nisi imitari. Sequantur etiam agnum ceteri fideles, qui Virginitatem corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, sed quocunque ipsi potuerint: possunt autem vbique, praterquam vbi in decore Virginitatis incedit.*

ORATIO.

O Electa, & praelecta Virgo Virginum, cuius puritatem etiam Angeli stupent; quæ omnes Virgines in cælesti curia cum citharis suis Agnum sequentes, longissime præcedis: O Virgo fidelis, quæ neminem spernis, & omnes ad te suspirantes, adiuuas: Virgo clemens, admitte anhelantem, desiderio, & pio voto sequentem, non passibus æquis: Virgo potens, non miraculum peto, vt lumbos meos constringas,

S. VIRGO VIRGINVM. 41

gas, & omnem prauum carnis motum,
à me perpetuo auferas (quod non pau-
cis præstitisti) sufficit mihi gratia tua, ad-
iuua infirmitatem meam, paratus sum
pugnare, tantum labantem erige, gratia
& patrocínio tuo à lapsu serua; cogita-
tiones purifica; vt tibi, tuoque dulcissi-
mo filio, casto corpore seruiam, & mun-
do corde placeam. Quid mihi cum pu-
tri carne & sanguine? libet Angelicam
puritatem imitari; Tu ô Virgo purissi-
ma, Virgo veneranda. Virgo prædican-
da vires suffice, vt olim cum prudenti-
bus Virginibus vigil, & ardente, lampa-
de, sponsum deducere. Agnum inquam
immaculatum cum cantico quoque, &
cithara mea sequi, eumque in omnem
æternitatem laudare, ipsoque perpetuo
frui merear. Quæ in Cælis corona-
ta triumphas in omnem æ-
ternitatem. Amen.